

quem ex interiectione *papae*, quae mirando acriter exprobat, et nomine legis illius, quae a latore ferente *Papia* dicta est, coagmentatum esse censeo. Humanitatis enim sensu commotus, legem illam eiusque latorem ridere mea quidem sententia voluit, quasi peregrinorum terriculum, ex qua isti Urbe egredi iubebantur. In hanc vero opinionem me Cicero trahit, qui cum familiarissimus Varronis esset, male legem odiosissimam accepit: « *Nihil* » enim ille ait « *quod crudele utile; est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper* ». Ex eodem miserationis motu provenit satira quoque, quae « *Sardi venales* » inscribatur. Hanc multis de causis, quas silentio praetereo, ne rem meam longius producam, in M. Tigellium Hermogenem, tibicinem et cantorem celebratissimum eundemque Sardum natione, scriptam fuisse suspicor. In satira quae « *Τρικάρανος* » inscribatur, Pompeium, Crassum, Caesarem, qui, triumviratu condito, omnia in Urbe ad arbitrium administrari sibi fas esse crediderant, aperta significatione in causam appellavit. In fragmentis satirarum, quae ad quingenta amplius exstant, sententiae de moribus continentur, quae brevitate quidem carent et vi; at Catonianis moribus haec illum praeditum fuisse et in severitate ipsa versus graves et acres festivitate, facetiis, iocis, lepore, gratia divisisse facile ostendunt.

Cic. III. de  
Off. 11.

Appian. II.  
Bell. Civ. 9.

Conf. Cic.  
XIII. ad Att.  
49; VII. ad  
Fam. 24.

#### RERUM SCRIPTORES CICERONIS MEMORIAE

XLIV. Orationis genus, quod in tabulis et commentariis rerum gestarum breve et exile erat, ampliorem comprehensionem et ambitum verborum illum plenum, quam Graeci « *περίοδος* » appellant, a primis scriptoribus habuit, qui historiis in conscribendis Ciceronis aetate novam narrandi artem et rationem adhibere coeperunt. Qui cum in exquirendas

dignoscendasque innumerabilium eventuum causas mentem animumque defixissent, quae licet variae sint multiplici nexuum consociatione coniunguntur, abundantiores verbis uberiorisque esse coeperunt; quibus in copulandis coagmentandisque inter se ad circuitum atque quasi orbem verborum sermonem conformaverunt. Magnam ex infinita quasi varietate rerum, quae domi militiaeque factae sunt, Ciceronis aetas scriptorum clarissimorum copiam protulit. Etenim eodem fere tempore praeter minores, C. Iulius Caesar, A. Hirtius, Cornelius Nepos, C. Sallustius Crispus, M. Terentius Varro floruerunt, qui non in notandis tantum temporum ordinibus quantum in inspiciendis causarum nexibus diligenter versati, fabulis relictis, ad fidem et auctoritatem historiae rerum gestarum narrationes revocaverunt.

XLV. In minoribus rerum scriptoribus *L. Cornelius Sulla* recensendus est, vir, ut constat, tum militaribus tum civilibus muneribus in republica praestantissimus; cui, cum bella in Romanorum hostes illata bene confecisset, cum Mario de principatu acerrime contendendum fuit. Dictatura, quam armis et sanguine civium assecutus erat, cum se post duo annos abdicavisset, in qua gerenda multis legibus reipublicae statum firmaverat, nullo impellente suaque sponte, se Puteolos in villam suam recepit, ibique ante actam vitam recolens « *Commentarios rerum gestarum* » scribere instituit. At foedissimo, ut traditum est, morbo correptus, cum inexpletos illos reliquisset, Epicadus quidam, eius libertus, ad finem post domini mortem perduxit. Commentariorum istorum pauca fragmenta ad memoriam nostram pervenerunt, valdeque doctos homines dolet insigne hoc temporum turbulentissimorum documentum a praecipuo rerum gestarum actore relictum, saeculis infestis, intercidisse.

XLVI. Aequales *Cornelius Sisenna* et *Licinius Macer* eius fuerunt. Ille, qui oratoria quoque laude clarissimus fuit — *patronum propemodum diligentissimum* eum Cicero

appellat — unum et viginti libros de rebus ad historiam pertinentibus composuit, quos saepe in suis alligat Livius; alios de rebus naturalibus, quos nominat Plinius. Licinius Macer vero bellum sociale et civile tribus libris narravit, quibus epitomen rerum gestarum omnium ab Urbis incunabulis ad tempora sua praemisit. Cicero hunc « *doctum virum et studiis optimis deditum* » fuisse tradit, cuius « *omnis facultas* » addit « *ex historia perspici potest, quae facile omnes vincit superiores* ». Oratorem tamen inconditum et loquacem eum appellat. Macer, ut videtur, primus orationis genere antiquis obsoletisque verbis referto usus est, quod postea ad eius exemplum Sallustius quoque in scripturis suis adhibuit. Violentas sibi Macrum manus intulisse memoriae proditum est. Nam, ut apud Valerium Maximum invenimus, cum repetundarum reus a Cicerone post praeturam esset factus, dum sententiae dirimerentur, in moenianum conscendit et sudario, quod forte in manu habebat, ore et faucibus suis cohartatis, incluso spiritu, voluntaria morte se poena liberavit.

XLXII. Omnem rerum gestarum memoriam ex veteribus annalibus ad tempora sua *Q. Valerius Antias* replicavit, cuius historiam septuaginta libris constantem *invenuste* scriptam esse Cornelius Fronto nos in epistula ad Verum docet. Notitias vero nimio mirationis concitandae studio ad incredibilitatem exaggerasse ex Livio novimus, qui caesorum et captorum in pugnis militum numerum ab eo auctum esse non uno vel altero, sed multis locis notat. In historiis scribendis etiam *Q. Claudius Quadrigarius* versatus est, qui *lepide* — ut apud Frontonem legimus — Romanorum res, a Gallico incendio ad suam aetatem narratione continua prosecutus, viginti tribus libris commisit. *Q. Hortensius Hortalus* idem fecit, orator clarissimus, Ciceronis familiaris, nec non *T. Ampius Balbus*, qui, bello civili acerrime aestuante, Pompei partes secutus est. Fuit vero hic Ciceroni carissimus, qui in epistula ad eundem haec inter alia de eo habet:

*Cic. Brut. 67.*  
*238; Macr. I*  
*Satur. 10. 17;*  
*Plin. Hist.*  
*Nat. in*  
*elench.*

*Cic. Brut. 64.*  
*228.*

*Val. Max. IX.*  
*Mem. 12. 7.*

Cic. VI. ad  
Fam. 12. 5.

Val. Max.  
VIII. Mem.  
13. 4;  
nec. Suas. 2.

« Deinde cum studium tuum consumas in virorum fortium factis memoriae prodendis, considerare debes nihil tibi esse committendum quam ob rem eorum, quos laudas, te non simillimum praebeas ». De bello autem civili, quod inter Pompeium et Caesarem exarsit, libros ab *Asinio Pollione* multos scriptos esse *Valerius Maximus* testatur, quos etiam *Seneca* memorat, additque rem suam hunc ita dilatasse ut, quos sibi proposuerat fines praetergressus, integram virorum illorum memoriam pertractaverit.

Corn. Nep.  
Vit. Att. 18. 3.

Cic. II. ad  
Att. I.

XLVIII. *T. Pomponius Atticus* demum Romanorum et Graecorum historiam sub uno aspectu positam in breviario quodam, quod « *Liber annalis* » inscribatur, brevi pressaque narratione prosecutus est. Vir enim hic, omnium aequalium longe ditissimus, cum a publicis negotiis natura ingenioque alienissimus esset, is librorum amator evasit, ut impensis suis bibliothecam collegerit. Multa autem librorum lectione acutus diligensque antiquitatis investigator factus, cum monumenta rerum multarum ad Romanorum et Graecorum historiam pertinentia inter sese contulisset, novam hanc rerum narrandarum rationem invenit, ut utriusque populi simul facta per annos composita eodem ordine explicaverit. In notandis autem magistratum nominibus, qui bella gesserant, aut leges tulerant, aut foedera icerant, illorum origines ab antiquitate ultima repetens, tabulas clarissimarum familiarum descripsit. De *Ciceronis* consulatu librum Graece composuit — sermone enim Graeco et scribens et loquens ita utebatur ut, ac si Athenis natus esset, *Atticus* appellatus sit — de quo libro *Cicero* ad *Pomponium* ipsum rescribens iudicium in re sua urbanissimum profert: « *Quamquam* » ait « *tua illa — legi enim libenter — horridula mihi atque incompta visa sunt, sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamentum neglexerant, et, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. Meus autem liber* » — de libro suo loquitur, qui item « *De consulatu* » inscribe-

batur — « *totum Isocrati myrothecium atque omnes eius discipulorum arculas ac non nihil etiam Aristotelica pigmenta consumpsit* ». Notat videlicet Arpinas in illius libro adstrictiorem et contractiorem orationis siccitatem: qua etiam, propter rerum materiem et infinitam quasi silvam in tabulis exactam, librum illum vitiatum esse censeo, quem de Romanorum rebus et Graecorum congruenter concinnavit.

## C. IULIUS CAESAR

XLIX. In clarissimis rerum scriptoribus, qui Cicerone vivo floruerunt, primum dignitatis locum C. Iulius Caesar occupat. Vir enim hic singularis, qui ceteros post hominum memoriam in bellis gerendis et in administranda republica versatos militari gloria et magno rerum civilium usu unus mihi vicisse videtur, suos inter aequales scribendi quoque laude praestitit. Quem autem maximorum eventuum, a quibus civitas perturbata est atque exagitata, tempora ipsa principem sibi et quasi arbitrum statuerunt, is se ipse rerum, quas gessit, praeconem et laudatorem eloquentissimum invenit. ut illarum memoria apud posteritatem omnem maneret, Veteri nobilissimoque genere — quod primam originem a Iulio, filio Aeneae et Veneris nepote, duxisse antiquitus traditum erat — ambigitur IV an III Idus Quintiles sexcentesimo quinquagesimo anno post conditam Urbem natus sit, qui mensis hanc ob causam postea Iulius ab eo appellatus est. Mater eius Aurelia, prudentissima et diligentissima mulier, bonis honestisque moribus eum cum a puero imbuisset, Latinis Graecisque litteris erudiendum Cn. Gniphoni grammatico tradidit, ex cuius schola, ut paulo supra diximus, praestantissimi viri provenere. Qua erat natura mirabili industriaeque, cum ad honores et munera publica capessenda pro Romanorum consuetudine mentem animumque convertisset, stipendia

Macr. I.  
Satur. 12. 34.

*Suet. Caes. 2.* in Asia bello Mithridatico merens, bene curriculum iniit; in Mytilenarum enim expugnatione, cum civis cuiusdam vitam servavisset, corona civica donatus est.

L. Post militiam ex Asia cum Romam revertisset, in fore, ut eloquentia sibi ad honores iter communiret, una cum oratoribus principibus versari coepisset, contra Dolabellam oratorem haud ignobilem dicere orsus est, quem anno sexcentesimo septuagesimo septimo repetundarum insimulavit. Attamen hic, Cotta Hortensioque accusationem propulsantibus peculatus crimine absolutus est. Postero anno C. Antonium de vi, coram praetore M. Lucullo, accusavit, quod multos in Achaia Graecos bonis omnibus spoliavisset. Hanc ob causam in potentissimorum invidiam incurrit, quam ut fugeret, Apollonium Molonem, rhetorem clarissimum, auditurus in insulam Rhodum se contulit. Dum abest, in locum M. Aurelii Cottae viri consularis vita functi, pontifex creatus est, ad quod sacerdotium ineundum Romam festinans, Hadriaticum mare, una tantum nave, ne in praedones incideret, cum duobus amicis ac decem servis traiecit. Tribunus deinde militum creatus in Hispaniam ulteriorem, quae provincia ei obvenerat, profectus est. Memoriae proditum est eum regionem illam peragrantem, cum ad Herculis templum Alexandri statuam conspexisset, rebus ab hoc gestis commotum aemulandi desiderio graviter ingemuisse, neque amplius post id tempus quievisse, quoad imperii potiundi in Urbe occasionem est nactus. Romam inde reversus, cum uxores duas iam vicissim repudiavisset, alteram Cossutiam ei etiam tum praetextato nuptam, alteram Corneliam, uxorem tertiam Pompeiam Q. Pompei filiam, L. Sullae nepotem, duxit, ratus hoc matrimonio potentissimos in republica viros necessitudinis vinculis devincire sibi utilissimum fore. Auctoritate amplificatus, legem Gabiniam anno sexcentesimo octogesimo septimo cum Cicerone suasit, qua lata, bellum piraticum Pompeio Magno decretum est; deinde in eiusdem Pompeii favorem

*Suet. Caes. 4.*

*Vell. II. Hist.  
Rom. 43.*

*Suet. Caes. 4;  
Vell. II. Hist.  
Rom. 43; Plut.  
Caes. 5.*

legem Maniliam contra Catulum atque Hortensium magna contentione defendit.

LI. Aedilis curulis factus aedificia Urbis reparanda aut extruenda curavit, quod cum non publicis tantum impensis sed privatis quoque fecisset, rebus suis consumptis, aes alienum contraxit. Cuius causa tantum sibi populi favorem conciliavit, ut cum anno sexcentesimo nonagesimo uno Metellus Pius vita cessisset, Servilio Isaurico et Lutatio Catulo clarissimis viris praeteritis, multitudinis universae suffragio pontificatus maximus ei delatus sit. Eodem anno in Catilinam, qui de capessendo Urbis imperio, Cicerone consule, coniurationem fecerat, vehementi oratione invectus est, quae cum ceteris eius evanuit. Quam enim Sallustius ac si ab eo iisdem verbis pronuntiata sit, in libro refert, quem de Catilinae coniuratione scripsit, eam dicendi genere inspecto ab eodem compositam esse manifestissime patet. Praetor in alterum annum renunciatus, primo die praeturae de Capitolio reficiendo Q. Catulum ad iudicium populi vocavit, rogatione promulgata, qua munus id in alium transferendum esse proposuit. Multitudinem in comitio ita excitavit et inflammavit, ut senatus eum officio privandum decreverit; in magistratu tamen permansit, cumque oratione populum tumultuantem sedavisset, senatus ei gratias egit. In Hispaniam postero anno profectus est, quam statim pacavit; indeque festinanter consulatum petiturus Romam rediit, et foedere cum Pompeio Crassoque facto, qui auctoritate quam plurimum valebant, anno sexcentesimo nonagesimo quarto consul renunciatus est.

*Sall. Catil.*  
51-52.

*Suet. Caes. 15.*

LII. « *Inito honore* » ut Suetonius refert « *primus omnium instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur* ». Praeter alias multas, de dividendis agris leges agrariae a Caesare, magna contentione, senatu invito, et a M. Bibulo consule altero latae sunt; qui quidem, quia obnuntiaverat, e foro expulsus est. Quam ob causam, cum domi in posterum se continuerit, quoad munere abiret,

*Suet. Caes 20*

*Liv. Epit. 103.*

*Vell. II. Hist.*  
*Rom. 44.*

unus Caesar ad arbitrium ita rempublicam administrare visus est, ut nonnulli civium, cum quid per iocum testandi causa signarent, non *Caesare et Bibulo* sed *Iulio et Caesare* *coss.* actum scriberent. Cum vero consulatu perfuncturus esset, Galliam in quinquennium administrandam Vatinia lege obtinuit; in quam provinciam priusquam proficisceretur, a C. Memmio et L. Domitio, eius anni praetoribus, in ius apud senatum vocatus est, acta eius rescindere cupientibus. Contra quos, cum tribus orationibus satis superque existimationem suam defendisset, immortalem ex bellis gerendis gloriam assecuturus in Galliam discessit. Novem annos — etenim ei post quinquennium imperium prorogatum est — pro virili parte provinciam administravit, oppidisque innumerabilibus expugnatis gentibusque omnibus devictis, eam pugnis et civili sapientia imperio Romanorum pacatam subegit. Ob rerum gestarum invidiam bellum civile cohortum est, ex quo, Pompeio superato, princeps civitatis unus Caesar evasit. Anno enim septingentesimo nono consulatum solus praeter consuetudinem gessit, eodemque anno dictaturam quartam iniit, quam senatus ei in perpetuum decreverat. Hanc ob causam odium in se virorum concitavit, qui rempublicam a patribus liberam acceptam tuebantur. Coniuratio malevolorum hominum facta est: occasionem propitiam nacti, Idibus Martiis septingentesimo anni decimi post conditam Urbem, viginti tribus vulneribus Dictatorem in Pompeii Curiam venientem necaverunt.

*Suet. Caes.*  
*80-82; Vel. II.*  
*Hist. Rom.*  
*56-58; Liv.*  
*Epit. 116;*  
*Cic. II. de*  
*Div. 9.*

LIII. Caesar, quem paulo supra in poetarum numero recensuimus, orator quoque summus habitus est, idemque haud ignobilis grammaticus, et rerum scriptor clarissimus. Dolendum sane est orationes, quas Caesar dixit, aetatem non tulisse, cum omnium fere eruditorum hominum consensu laudatas eas inveniamus. De eius dicendi facultate passim haec apud Ciceronem legi: «*Caesar lectis utitur verbis et frequentibus [sententiis] et splendore vocis et dignitate motus fit speciosum et illustre, quod dicit; omniaque sic suppetunt,*

*Cic. Brut. 71.*  
*250; ibid. 75.*  
*261.*



*ut ei nullam deesse virtutem oratoris putes*. « *Splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodam modo. Orationes quidem eius mihi vehementer probantur. Complures autem legi* ». Notum de Caesaris eloquentia comparativum iudicium Quintilianus tulit: « *C. Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat, exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia* ». Ab his tamen Tacitus in libro, quem de oratoribus scripsit, aliquanto dissentit: « *Concedamus sane C. Caesari* » ait « *ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercule quam Brutum philosophiae suae relinquamus; nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur* ».

Quint. X.  
Inst. 114.

Tac. de Orat.  
21.

LIV. Ad rem grammaticam spectabant libri duo, quos « *De analogia* » inter pugnas belli Gallici, inter classica et tubas, accuratissime ad Ciceronem scripsit. De ratione Latine loquendi in his libris agebat; nam, verborum delectu adhibito, mediam viam tenendam esse docebat, inter oratores illos, qui communi vulgarique sermone utebantur, atque illos, qui litteratum obsoletumque praeferebant, rati recte loqui idem esse quam inusitate loqui. « *Caesar autem* » verbis Ciceronis utar « *rationem adhibens consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum — quae, etiam si orator non sis et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est — adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine* ». Praeter hunc librum, ad Ciceronem alterum misit, in quo sane controversiam de Catonis Uticensis virtute cum eo habuit. Etenim in scriptura quadam Catonem Arpinas

Cic. Brut. 75.  
260.261.

valde laudaverat, cum propter morum sanctitatem vitaeque innocentiam, tum propterea quod, cum rempublicam libertate spoliata vidisset, ne in potestatem Caesaris veniret, sibi constantissimo animo Uticae mortem intulisset. Duobus libris concertationis plenis Ciceroni Caesar obversatus est, quos « *Anticatones* » inscripsit, in quibus, obiectis Catonis vitiis, fortitudinem illius facetiis et iocis esse ridendam ostendit. Quibusdam Attici litteris praemonitus Cicero, ne graviolem periculo suo contentionem faceret, sententiam suam minus fortiter quidem retexens, ad Caesarem scripsit se legisse libros contra Catonem et vehementer probasse. Simulate tamen; post Caesaris enim mortem, secum, quae scripserat, recogitans atque retractans, haec per occasionem notavit: « *Aut negari potest id factum esse, quod laudetur, aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit, aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit. Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Caesar contra Catonem meum* ». In hac controversia maxima Romanorum pars cum Cicerone stetisse videtur, sine dubio quidem Plinius Iunior, qui « *C. Caesar* » ait « *ita [Catonem] reprehendit ut laudet* ». Post Caesaris mortem, litterae quoque, in quibus de rebus publicis et privatis vel ad senatum, vel ad familiares rettulit, in libris collectae sunt, qui quidem interierunt. Nonnullae tamen illarum, quas ad Ciceronem misit, exstant Ciceronianis epistulis interiectae.

LV. Res memorabiles, quas, tum cum Romanorum hostibus bene egregieque pugnando, tum cum civibus de Urbis imperio contendendo, gessit, commentariis a se scriptis ad posteritatem commendavit. In commentariis enim his, quos « *De Bello Gallico* » inscripsit, ad Xenophonteum morem et rationem, bella cum Gallis brevi perpetuaque narratione ita prosecutus est, ut quae singulis annis egisset, ea ex ordine libris singulis consignaret. Bellum civile commotum eum impedivit quominus rem ad finem produceret. Reliquit de

*Cic. XIII. ad  
Att. 50.*

*Cic. Top. 25.  
95.*

*Plin. Iun. III,  
Epist. 12.  
Suet. Caes.  
56; Gell.  
XVII. Noct.  
Att. 9. 1.*

*Commen-  
arii de bello  
Gallico*

bello Gallico septem libros — nam octavus, qui fertur, non suus est, sed Hirtii eius legati — qui integri incorruptique exstant. Pauca ex his hoc loco et lineamenta quasi rerum gestarum, mihi sunt referenda, ut Caesaris et ducis et dictatoris aliquo modo imaginem expleam.

In Galliam igitur Caesar anno sexcentesimo nonagesimo sexto vere ineunte profectus, bellum statim in Helvetios intulit, qui in provinciae fines impetum facere conabantur. His profligatis, cum Ariovisto, Germanorum rege, alterum bellum eodem anno gessit, eumque e finibus fugatum, quos occupaverat, in suas urbes profugere coegit. Quibus duobus bellis quam celerrime confectis, in citeriorem Galliam ad conventus agendos profectus est. Postero anno, litteris nuntiisque a Labieno acceptis, certior factus est Belgas omnes contra populum Romanum coniurare — verebantur ne, pacata Gallia, ad eos exercitus adducerentur — de improvviso illos omni opinione celerius adgressus, gentes alias in fugam vertit, alias in dicionem accepit, alias denique ad interneccionem redegit. Per P. Crassum interea, qui equitatu praecerat, ad Armoricas gentes missum, ipsarum civitates in societatem et amicitiam populi Romani accepit. His rebus actis totaque fere Gallia subacta, legionibus in hibernacula deductis, in Italiam Caesar profectus est. « *Ob easque res* » ait ipse « *ex litteris Caesaris in dies quindecim supplicatio decreta est, quod ante id tempus accidit nulli* ». De supplicationibus his quaedam apud Ciceronem et Plutarchum legimus. Ad Caesarem, in Gallia Cisalpina versantem, primis anni mensibus, qui subsecutus est, multi praestantissimique viri convenerunt, inter quos Crassus et Pompeius, ut ex Ciceronis epistulis quibusdam ad Quintum fratrem colligimus.

LVI. Vere ineunte in Galliam revertit; gentibus Alpinis per Galbam legatum domitis, Armoricanos, qui oras regionum prope Oceanum incolebant, navibus adgressus devicit. Interea per Titurium et Crassum legatos, Venellis et Aquitanis supe-

*Commentarius primus ; ann. 696 p. U. c.*

*Commentarius secundus; ann. 697. p. U. c.*

*Comm. II. 35.*

*Cic. de Prov. cons. 10. et segg. ; Plut. Caes. 23.*

*Cic. II. ad Quint. fr. 6. et 13; III., 1.3.*

*Commentarius tertius;*  
*ann. 698.*  
*p. U. c.*

*Commentarius quartus;*  
*ann. 699.*  
*p. U. c.*

ratis in dicionemque acceptis, arma in Morinos et Menapios ex silvis impetum facientes parat, illatoque bello, repellit, eorumque agris longe lateque vastatis, vicis aedificiisque incensis, hieme iam appropinquante, exercitum in hiberna reducit. Quarto proconsulatus anno in Usipetes, in Germanos, in Tencteros, qui magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierant, re frumentaria simulate comparata, equitibusque delectis, bellum sibi primo gerendum esse constituit. Quos cum celerius quam consueverat esset adgressus, imparatos impeditosque in fugam coniecisset, extracto in flumine ponte, in Germanorum fines contendit. Paucos ibi dies moratus, vicis et aedificiis incensis frumentisque succisis, satis ad utilitatem et laudem profectum arbitratus, se in Galliam recepit pontemque rescidit. Quo bello confecto, cum ex Britannia auxilia superioribus annis hostibus subministrata esse intellexisset, ratus sibi magno usui fore, si modo insulam adisset, genus hominum perspexisset, loca, portus, aditus cognovisset, classe undique contracta, idoneam ad navigandum tempestatem nactus, Britanniam, Romanorum primus, attigit. Militibus in terram e navibus eductis in hostium copias, quae classarios litore prohibere conabantur, eum impetum fecit, ut statim in fugam dederit. Attamen longius prosequi Romani non potuerunt; naves quibus equites ad regionem occupandam necessarii vehebantur, neque cursum tenuerant, neque ceperant insulam. Hoc ad pristinam fortunam Caesari defuit. Nam cum post diem quartum, quam in Britanniam appulerat, onerariae naves litori tantum appropinquarent, quantum conspicerentur, tanta tempestas subito est cohorta, ut in altum ventis adversis provectae continentem petierint. Hanc ob causam insulam non occupari posse sine equitibus ratus, cum in hostes impetum fecisset, pacem petere coegisset, navibus post mediam noctem solutis, ad continentem pervenit. Milites circiter ad trecentos, qui e navibus expositi erant, dum in castra contendunt, a Morinis

circumventi sunt, qui Caesare absente, rebellionem fecerant. Qua re nuntiata per Titum Labienum legatum Caesar eos adgressus devictos subegit. Anno autem exeunte in Menapios Q. Titurium et L. Cottam legatos misit, qui agris vastatis, succisis frumentis, ad Caesarem in Belgis legionum hiberna constituentem se receperunt. Quibus rebus ex litteris Caesaris cognitis, dierum viginti supplicatio a senatu decreta est.

*Conf. Plut.  
Cross. 4.*

LVII. Anno post, cum imperium Galliarum Caesari in quinquennium prorogatum esset, dum classem legionesque ad alteram expeditionem in Britanniam parat, Dumnorix Aedus principes Gallorum sollicitat, ut in continenti remanerent neve illum sequerentur. Quem cum frustra in officio continere conatus esset Caesar, intermissa profectio, interficiendum curavit. Qua re acta, cum naves solvisset et accessisset ad Britanniam, devictis aliquot gentibus, obsidibus acceptis, cum constituisset hiemare in continenti, propter repentinos Galliae motus, in naves conscendit et terram prima luce attigit. Eo ut primum venit, renuntiatum ei est Sabinum et Cottam, qui iniquo loco proelium commisissent, ab Ambiorige esse oppressos, quem statim adgressus longo bello devictum profligavit. Subinde, Indutiomaro rege interfecto, paulo quietiorem Galliam habuit. Aucto ad decem legionum numero postero anno bellum Menapiis intulit, quos cum subegisset, iterum Rhenum transiit, in Suevos aliasque Germanorum gentes impetum facturus. At frumenti inopiam veritus, eorum agris vastatis, exercitum in hiberna reducit, ipse ad conventus agendos in Italiam proficiscitur. Interim Galli, auditis civilibus discordiis, quae iterum inter optimates et populares ortae erant, liberius ac audacius de bello consilia in Romanos inire incipiunt. Indictis conciliis, Carnutes se principes belli ex gentibus omnibus facturos pollicentur, Fufium Citam, honestum equitem, qui rei frumentariae iussu Caesaris praecerat, interficiunt, bonaque eius et ceterorum Romanorum diripiunt. Fama ad omnes civitates allata, totius Galliae

*Commentarius  
quintus;  
ann. 700.  
p. U. c.*

*Commentarius  
sextus;  
ann. 701.  
p. U. c.*

*Commentarius  
septimus;  
ann. 702. p. U. c.*

coniuratio, duce Vercingetorige, conflatur. His rebus cognitis in Galliam Transalpinam quam celerrime Caesar contendit, novis delectibus paratis, cum propter artem et bellicam eius virtutem, tum propter militum constantiam bene feliciterque apud Alesiam cum Gallis decertatum est. Quae cum Romae cognita essent, dierum viginti supplicatio tertium reddita est. Coniurationis reliquias postero anno Caesar delevit: Bituriges atque Bellevacos in dictionem accepit; exercituque in plures partes diviso, fines Eburonum ipse populatus est; per Labienum Treviros subiecit. Aquitaniam in fidem recepit. Anno septingentesimo quarto post conditam Urbem ineunte, nova Gallorum coniuratione repressa, pacatisque civitatibus, Caesar in Italiam profectus est, magna coloniarum et municipiorum laetitia acceptus. Paulo post iterum in Galliam reversus est, cui cum Labienum praefecisset, aestuantibus iam Romanorum civium partibus, animo potius iure disceptandi quam belli gerendi cum adversariis, qua maxima potuit celeritate, in Italiam contendit.

LVIII. Bellum civile, quod cum Pompeio gessit, tribus quos « *Commentarios de bello civili* » inscripsit, libris prosecutus est; quorum in prooemio civilium dissensionum causas indagat easque in Pompeii machinationibus reperit. Hic enim invidia commotus senatum per consules C. Claudium Marcellum et Cornelium Lentulum impellit ut, nisi ante certam diem Caesar exercitum dimittat, decernat eum adversum rempublicam facturum videri. Quibus rebus cognitis, apud milites concionatus, Caesar Ariminum, nulla amplius mora interposita, proficiscitur. Pompeius interea, consules, senatores cum magnis itineribus Caesarem in Urbem contendere novissent, de pace concilianda Capuam conveniunt. Id frustra conati Brundisium transfretaturi confugiunt. At cum militibus Caesar Romam ingressus, patribus vocatis, de pace reparanda agit. Ratus tamen, ni Pompeianos devicisset, quascumque se in partes recepisset, nihil tranquillitatis

*Commentarius octavus;*  
ann. 703-704.  
p. U. c.

*Commentarii de bello civili*

*Commentarius primus;*  
ann. 705  
p. U. c.

reipublicae futurum, in Galliam contendit. Massiliam, quae ei cum copiis transeunti portas clauserat, per Trebonium et Brutum expugnandam reliquit, Afranium et Petreium, Pompeii legatos, debellaturus magnis itineribus in Hispaniam devertit. Quibus devictis, tertium legatum, Terentium Varro-nem, a suis desertum, dediticium accepit, posteaque, cum redisset in Galliam, Massilia facili expugnatione potitus est. Interea populo senatuque faventibus, lata lex est qua, cum dictator renunciatus esset, dictaturam mox initurus Romam revertit. Interim in Africa Curius eius legatus ad Uticam cum Pompeianis bellum gerit. Dictatura abiturus comitia habuit, quibus consul in posterum annum creatus est. Anno septin-gentesimo sexto e Brundisii portu naves solvit, Aetolia, Ma-cedonia, Thessalia occupatis, Dyrrhachium obsedit. Qua au-tem obsidione liberatus Pompeius cum Caesare ad Pharsalum decertat, victusque profligatusque in Aegyptum confugit, ibique fato miserrimo perit.

*Commenta-  
rius secun-  
dus; ann. 706.  
p. U. c.*

*Commenta-  
rius tertius;  
ann. 707.  
p. U. c.*

LIX. Quibus annis Caesar commentarios scripserit ex indiciis satis incertum; qua de causa eruditi homines inter se longe dissentiunt. Ex his enim nonnulli eum post septingen-tesimum quartum annum ab Urbe condita ex litteris, quas ad senatum miserat, libros confecisse existimant; alii contra libros singulos singulis annis imperii confectos esse censent. Illi ad sententiam suam probandam argumentis utuntur ex quibusdam notationibus temporum desumptis. Gravissimum in hoc genere prima specie illud ipsis esse videtur, quod eruunt ex duobus commentariorum locis: in altero, qui ad primum librum spectat, Aeduis petentibus, ut Boios in finibus suis collocarent, se id concessisse affirmat, additque in parem iuris libertatisque conditionem, atque ipsi essent, hos ab illis postea fuisse receptos. In altero autem loco, qui in septimo libro continetur, res gestas anni septingentesimi primi referens, Boios eosdem Aeduorum stipendiarios vocat. Hinc profecto, cum nulli praenosceret futura datum, librum

*Quibus annis  
scripserit et  
evulgaverit  
commenta-  
rios questiun-  
cula*

*Comm. I.  
cap. 28.*

*Comm. VII.  
cap. 10.*

primum post annum septingentesimum primum scriptum inferunt, siquidem eo anno, cum stipendiarii etiam essent, parem iuris libertatisque condicionem quam Aedui necdum assequi potuerant. Istorum argumenta critici alteri infirmant, arbitrantes ex notulis in narrationis contextum amanuensium opera locum illum invasisse. Equidem neutros in hac re sequendos esse censeo; nam verba illa a Caesare ipso addita fuisse suspicor, cum libros demum foras daturus, iis, quae scripserat ante, extremam manum imposuit. Libros autem retractatos in lucem emisisse post septingentesimum primum annum ex hac ipsa re, quam de Boicorum gentibus tradit, inferri certo certius posse videtur.

LX. Non historiam rerum suarum plenam expletamque sibi conscribere statuit. Attamen « *dum voluit alios* » Ciceronis verba refero « *habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit: nihil est enim in historia pura et illustri brevitate dulcius* ». Quae quidem brevitatis in commentariis dedita opera quaesita videtur, nam ab illa dicendi copia discordat, qua in orationibus utebatur, cuius non solum princeps atque inventor, sed etiam propter eam bene meritus de populi Romani nomine et dignitate a Cicerone dicitur. Caesaris commentarii quam maxime orationis perspicuitate probantur, qua quidem in nullo rerum scriptore vel maiorem, vel elegantior, vel faciliorem invenies. Omnia enim ita plane expediteque narrantur, ut nihil desideretur, nihil redundet, nihil non luce sua illustretur. Bellorum causae in populorum gentiumque condicionibus exquiruntur; praelia, loca, in quibus fiunt, exercituum itinera, motus militum, impetus et concursus levi oratione celeriterque fluenti describuntur, iisque coloribus depinguntur, ut vel te ipse illis, dum fiunt, eadem agentem interesse credas, vel in tabulis bene pictis ea inspicere censeas. Orationis brevitate vehementique sicci-

Cic. Brut. 75.  
262.



tate quadam maxime Caesaris commentarii laudantur, quae neque exanguis omnino est, et ducem sane illum prodit, quem incredibili celeritate hostes adgressum atque superasse, magnisque itineribus Galliam, Britanniam, Hispaniam, Asiam, Africam cum legionibus peragrasse constat. Item in orationis genere subtilitate utitur, quae actorem eundemque rerum gestarum narratorem quam plurimum decet. Nam Caesar ab opimo et tamquam adipato dictionis genere abhorret, quod cum rebus, quae narrantur, altius sonet, res ipsas minuere videtur. Orationem suam minus verborum sententiarumque floribus illustrat, quam rebus, quas breviter attingit, elegantissime notat atque illuminat. Commentarii enim « *nudi sunt* » — ut a Cicerone verba mutuemur — « *recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta* ». Ex eorum lectione eos inter militiae otia in militaribusque tentoriis scriptos esse liquido patet, quod quidem nos Hirtius ipse in prooemio octavi libri, quem, ut scimus, composuit, verbis illis suadere videtur: « *Cuius tamen rei maior nostra quam reliquorum est admiratio; ceteri enim quam bene et emendate, nos etiam, quam facile atque celeriter eos perfecerit, novimus* ».

*Orationis genus et stilus*

*Cic. Brut. 75.  
262.*

*Comm. VII.  
in prooem.*

LXI. Astricto contractoque orationis genere usus, quam plurimas tamen non modo rerum gestarum notitias rettulit, sed occasionem inter narrandum nactus, regiones terrestres maritimasque accurate descripsit. In commentariorum enim exordio multa de Galliae universae situ, multa de eius partibus tradit, ut regionem illam et partes earumque fines sub oculos ponat, et gentes, quae illas incolunt, ex ordine recenseat. Locis vero aliis multis pro narrandi opportunitate montes, flumina, silvas, urbium, oppidorum situm depingit, quarum descriptionum in exemplum tres valeant; prima perbrevis: « *Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit* »; altera: « *Alesia*

*Comm. I.  
cap. 12.*

erat oppidum in colle summo, admodum edito loco, ut, nisi obsidione, expugnari non posse videretur; cuius collis radices duo duabus ex partibus flumina subleebant. Ante id oppidum planities circiter milia passuum III in longitudinem patebat; reliquis ex omnibus partibus colles, mediocri interiecto spatio, pari altitudinis fastigio, oppidum cingebant»;

Comm. VII. cap. 69. tertia postremo: «Hercyniae silvae latitudo novem dierum iter expedito patet; non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum et Nemetum et Rauricorum finibus rectaque fluminis Danuvii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium; hinc se flectit sinis trorsus diversis ab flumine regionibus multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit; neque quisquam est huius Germaniae, qui se aut adisse ad initium eius silvae dicat, cum dierum iter LX processerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit». Etiam animantia depingit: «Sunt item, quae appellantur alces. Harum est consimilis capris figura et varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque sunt cornibus et crura sine nodis articulisque habent, neque quietis causa procumbunt neque, si quo afflictæ casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt». Reliqua autem apud Caesarem ipsum, ne longius necessario rem traham, legenda relinquo.

Comm. VI. cap. 27.

LXII. In depingendis gentium moribus pari industria utitur, cuius insigne monumentum in commentario sexto habemus. Ibi enim dedita opera de Galliae Germaniaeque incolis ea mente loquitur, ut sub oculos eorum leges, condiciones, mores, religionem proponat eorumque imaginem non aliquomodo, sed ad veri similitudinem repraesentet. Gallos natura ingenioque factiosos esse notat. «In Gallia» ait «non solum in omnibus civitatibus atque in omnibus pagis partibusque, sed paene etiam in singulis domibus factiones sunt, earumque factionum principes sunt, qui summam auctoritatem eorum iudicio habere existimantur, quorum ad ar-

Comm. VI.  
cap. 11.

*bitrium iudiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat; idque eius rei causa antiquitus institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentio-rem auxilii egeret; suos enim quisque opprimi et circumveniri non patitur, neque, aliter si faciat, ullam inter suos habet auctoritatem* » Eosdem divisos esse in ordines notat, qui, praeter plebem, quae nihil audet per se, nulli adhibetur consilio, duo sunt, alter druidum alter equitum. Druides civilibus divinisque rebus omnibus praesunt; nam sacrificia publica privataque constituunt, poenas decernunt, adulescentes instituunt. Honoris causa a bello abesse consueverunt, neque tributa pendunt. Equites contra omnes in bello versantur atque ut eorum quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Ab hac consuetudine Germanos abesse docet, nam neque sacrificiis student, neque in pace magistratu communi utuntur. Ex comparatione, quam instituit, Gallos a Germanis virtute superari affirmat. Clarorum etiam hostium imagines paucis verbis depingit. Ariovistum hominem barbarum, iracundum, temerarium dicit. Quis autem quantum et fortis animo et constans Divico fuerit non sentit in verbis, quibus, paucis quidem sed gravissimis, orationem integram absolvit? Cum enim hic Helvetiorum legationis princeps ad Caesarem de pace venisset, eumque multa memorantem audivisset, multaque de iniuriis in Romanos illatis querentem, multaque, quod ab iisdem destitutus esset, minitantem, seque cum illis pacem esse facturum profitentem, si obsides ab iis sibi darentur; arroganter quidem, sed libere et graviter « *Ita Helvetios* » respondit « *a maioribus suis institutos esse, ut obsides accipere, non dare consueverint: eius rei populum Romanum esse testem* » Quibus sane verbis non unius Diviconis imaginem exprimit, sed gentis universae, quam Caesar istius ore sensa mentis et cogitata praeclare eloquentem inducit.

Comm. VI.  
capp. 11 - 23.

Comm. I.  
cap. 31.

Comm. I.  
cap. 14.

LXIII. Orationes quoque valde probantur, quas vel suo

vel alieno nomine in media narratione interponit. Nihil in illis est quod redundet, nihil omnino quod desit, omnia ad exprimendos animi motus pro tempore et opportunitate dicuntur; omnia ita cum rebus congruunt, ut nemo in dubium revocare possit, quin reapse illae, si non iisdem verbis prolatae sint, sententiam referant. In describendis autem pugnarum vicibus nemo ex rerum scriptoribus Caesarem superavit. Omnia, ut in proeliis fiunt, ordine distinguit, notat, describit: qui legit castra videre existimat, milites idoneum locum deligentes inspicit, impetum, signo dato, facientes, pugnam committentes et redintegrantes, hostes consertis ordinibus propulsantes, in fugam vertentes. Singularia etiam certamina, si memoria digna videntur, depingit. Virtutem militis cuiusdam his verbis et exemplo contubernales compellantis commendat: « *Militibus nostris cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret: "Desilite", inquit "milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere: ego certe meum reipublicae atque imperatori officium praestitero",. Hoc cum voce magna dixisset, se ex navi proiecit atque in hostes aquilam ferre coepit. Tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desiluerunt. Hos item ex proximis navibus cum conspexissent, subsequuti hostibus appropinquantur* ». Eiusdem generis quoque sunt, quae de Q. Cicerone ab hostibus circumvento narrantur, quae de trecentis militibus in itinere interceptis, qui incolumes in castra redeunt. Non exiles ergo neque ieiuni Caesaris commentarii dicendi sunt, in quibus imagines, non lineamentis tantum, ut in tabulis sine pigmentorum coloribus effinguntur, sed ad veri similitudinem repraesentantur et exprimuntur.

*Comm. IV.*  
*cap. 25.*

*Comm. V.*  
*cap. 45-48;*  
*IV., 37.*

LXIV. In familiarissimis Caesaris fuerunt *A. Hirnius, C. Oppius, L. Cornelius Balbus*, qui, cum in castris una cum eo versati essent, rerum gestarum memoriam, quam commentariis ille mandare instituerat, vel ad finem lacunas explendo

produxerunt, vel novis narrationibus locupletaverunt. A. Hirtium Ferentinatem fuisse credendum est; nam in titulis marmore inscriptis, qui in illa urbe inventi sunt, nomen eius saepe memoratur. Cicero etiam de eo in epistulis mentionem facit: « *Hirtium ego et Dolabellam* » facete inquit « *dicendi discipulos habeo, coenandi magistros* ». Alibi autem: « *Quid igitur* » inquit « *profectus est vir fortissimus, meus collega et familiaris, A. Hirtius consul?* » Ex quibus ab Arpinate illum in discipulis, in collegis, in familiaribus habitum esse patet. Stipendia in Gallia, Caesare consule, meruit, cuius beneficio anno septingentesimo octavo praetor renunciatus est, posteaque in Galliam Belgicam administrandam electus. Post Caesaris obitum cum a Cicerone contra Antonium stetisset cumque instaurandae libertatis magnam omnium expectationem concitavisset, pro libertate pugnans fortissime occubuit. Praeter librum octavum, quo commentarios Caesaris explevit, eius exstat brevis ad Ciceronem epistula. Huic veteres rerum scriptores, vel Oppio, libros adscripserunt, qui sine auctoris nomine supersunt, quorum primus « *De bello Alexandrino* » inscribitur, secundus « *De bello Africano* » tertius « *De bello Hispaniensi* ». In illis est Suetonius, qui habet: « *Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est, alii Oppium putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit* » De his autem libris, deque eorum auctore, fallentibus certis indiciis, fiunt, etiam nunc, magnae ab eruditis hominibus concertationes; at Oppius, quem Cassii et prioris Africani vitam narrasse comperimus. eodem Suetonio teste, librum edidit, quo probaret « *non esse Caesaris filium quem Cleopatra dicat* »; L. Cornelius Balbus denique Caesaris et Ciceronis etiam familiarissimus fuit. Ad utrumque litteras misit, quarum aliquot tantum in epistolis Ciceronis inveniuntur. Balbum historiam de rebus a Caesare gestis composuisse scimus, quae « *Ephemeris* » inscripta esse videtur. Quibus libris tribus, a Dictatoris

Cic. IX. ad  
Fam. 16. 7; 7.  
Phil. 4.

Cic. X. ad  
Fam. 30; Liv.  
Epit. 119.

Cic. XV. ad  
Att. 6.

Suet. Caes. 56.

Gell. VI.  
Noct. Att. 1.2;  
Suet. Caes.  
78 et 81.

familiaribus scriptis, series bellorum civilium et catena, quae ex progressionem quadam rerum invicem nexarum nata sunt, narratione continua ad finem expletur et locupletatur.

M. TERENCEIUS VARRO REATINUS

LXV. Anceps equidem sum, utrum M. Terentius Varro, cuius paulo supra satiras Maenippeas recensui, Romanorum antiquorum in numero ponendus sit, an in recentiorum potius; nam cum aetate et studiis inter secundum et tertium litterarum Latinarum tempus incidisset, utriusque in se imaginem et habitudinem expressit convenienterque composuit. Multis de causis ille, cum antiquis moribus atque integris in primis, tum etiam industria atque in multis variisque rebus uno tempore agendis incredibili sedulitate, tum inexplebili antiquitatis studio, Catoni quam maxime accessisse videtur. Rursus cum clarissimis quoque viris, qui una cum eo Ciceronis memoria floruerunt, non communem tantum sed superiorem et longe praestantiozem habuit mentis ad disciplinas atque scientias celeritatem perfectamque rerum sive Romanarum, sive Graecarum notitiam. Nobili familia divitiisque affluentissima, anno sexcentesimo duodequadragesimo post conditam Urbem Reate natus est, quod municipium in Sabinis erat, a quo nomen *Reatinum* est mutuatus, ut ab altero Varrone, qui *Atacinus* appellatur, apud posteritatem distingueretur. Romam cum adulescens se contulisset, ut sibi iter ad honores communiret, L. Aelio Stilone, qui litteras pueros docebat, tum quoque Antiocho Ascalonio, ex Academicis ultimo, magistris optimis sane usus est. Primos tamen honorum modo gradus fecit; nam tribunus plebis creatus est, dein aedilis curulis, dein Pompeii legatus in piratico bello et Mithridatico, denique praetor in Hispania; at cum Pompeii partes in bello civili secutus esset, ob duarum in Hispania

*Hieron. in  
Chr. ad ann.  
638.*

legionum defectionem, in potestatem Caesaris venit, quem sibi postea reconciliavit. Nihilominus M. Antonium acerri-  
 mum adversarium nactus, in proscriptorum numerum relatus  
 est; inde Fufii Caleni gratia exemptus, in litterarum otium  
 se tamquam in portum rettulit. Reliquam aetatem beatam  
 egit; nam «*tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse*  
*miremur, tam multa scripsit, quam multa vix quemquam*  
*legere potuisse credamus*». Diuturnitate vitae vir confectus  
 potius, quam defatigatione quadam aut laboris assiduitate  
 extenuatus, nonaginta annos natus aetati concessit.

*August. de  
 Civ. Dei 6. 2.*

LXVI. Sabinus natione cum simplex moribus rectusque  
 vereque Romanus esset, singularique prudentia praeditus,  
 nihil potius habuit quam ut, quid utile esset, id unum in  
 libris quoque scribendis exquireret, resque oratione potiores  
 duceret. Doctrinis ideo et sententiis ita refertus est, ut rerum  
 studiosum tantum se iste exhibeat, quantum profecto studiosus  
 verborum Cicero fuit. Non libros scripsit, verum varietate  
 librorum plenam bibliothecam coacervavit. Praeter satirarum  
 libros centum quinque et quinquaginta, quos paulo supra  
 memoravi, hilarotragoediarum Rhintonicarum quattuor libros  
 poematorum et lyricorum carminum decem, epigrammata  
 nonnulla composuit, quae in Imaginum libris digesta inseruit:  
 numero tamen longe plures libri sunt, quos soluta oratione  
 confecit. Nihil enim in singulis litterarum generibus cum  
 inexploratum reliquisset, infinita cunctarum disciplinarum  
 monumenta prodidit. Antiquitatis memoriam omnem et re-  
 centioris aetatis uno et quadraginta «*Antiquitatum*» libris  
 singillatim attigit; in aliis enim res humanae omnes, leges,  
 instituta, mores, funera, tum quae apud Romanos antiquitus  
 vigerent, tum ceterarum in Italia civitatum, quae germana  
 cuiusque et singularia fuissent, tamquam in pulcherrimo  
 aspectu varioque praebebantur; item in aliis universa rerum  
 divinarum materia erat, cultus deorum, sacerdotum collegia,  
 templa, auguria, cetera innumerabilia, quae ad religionem

*August. ibi-  
 dem*

*Cic. I. Acad.  
 post. 3. 9.*

*Libri de anti-  
quitatatum  
scientia*

pertinent. Istarum originem rerum diligentissime indagavit in libro, qui « *Aetia* » hoc est *causae* inscribatur, inque illis tribus « *De rebus urbanis* » in quibus Urbis descriptio continebatur; tum in « *Quaestionibus epistolicis* » de antiquitate rerum; tum denique in libris « *De gente populi Romani* » « *De Familiis Troianis* » « *Annalium* »; aliisque nonnullis; his librum addidit « *De Pompeio* » cuius partes, ut diximus, in civili bello secutus est, alterum « *De vita mea* » in quo mores suos et quasi expletam sui ipsius figuram expressit.

*Libri de ar-  
tibus et disci-  
plinis  
omnibus*

LXVII. Primus praeterea Romanorum in describendas geometricas formas incubuit; ne autem in studiis abstrusis et reconditis, a quibus abhorrebant civium ingenia, quod nihil utile in se haberent, frustra versatus videretur, haec ad terrarum descriptionem in libro qui « *De ora maritima* » seu « *Litoralia* » inscribatur, scite rettulit et inflexit. Hanc de corporum formis atque figuris disciplinam, ceteras, quas liberales nuncupavit, grammaticam, dialecticam, rhetoricam, geometriam, arithmeticam, astrologiam, musicam, medicinam, architecturam ad certam quandam rationem et praecepta cum primus revocavisset « *Disciplinarum libros novem* » confecit, quibus omnis artis et doctrinae cumulatissimum orbem descripsit, quam Graeci « *ἐγκύκλιον παιδείαν* » dicunt. Arte quoque et ratione philosophorum Graecorum inventa pro institutis Romanorum concludere aggressus est; nam philosophiae partes omnes non attigit modo, sed ut fieri poterat, oratione complexus est. Non uni autem scholae penitus accessit; in illa enim parte, quae est de bonis rebus et malis, deque hominum vita et moribus, Academicorum sectam secutus est; in alia, quae in animi origine et natura exquirendis versatur, a Pythagora profectus est; in ceteris partibus demum a Stoicis. Hanc ob causam philosophiam eum multis locis inchoavisse affirmat Cicero, ad impellendum satis, ad edocendum parum. Quod quidem mihi haud mirum videtur; ita enim hominum mentes sese habent, ut in

*Cic. I. Acad.  
post. 3. 9.*



tenebris obcaecatae perpétuo iaceant, nisi lumine quodam divinitus in animos iniecto tenebrae dilabantur. Septuaginta sex libris, quos « *Logistoricos* » communi nomine inscripsit, diligentia summa de variis argumentis satis fuse disputavit; unicuique tamen rei locum singillatim suo assignavit in libro; librum de liberis educandis « *Catonem* » inscripsit; de insania « *Orestem* »; de fortuna « *Marium* »; de deorum cultu « *Curionem* »; de valetudine « *Messallam* »; strictius ac si omnia ex summo quodam monte tamquam in conspectu haberet, tribus in libris « *De forma philosophiae* » quos saepe memorat Hieronymus; atque in altero « *De philosophia* » qui apud Augustinum in controversiam cadit, quidquid alibi pertractaverat, per summa capita enucleavit ac coaugmentavit.

*Libri de quaestio-  
nibus philo-  
sophorum*

*August. de  
Civ. Dei 19.  
1-3.*

LXVIII. Varronis quoque opera primos gradus fecerunt grammaticorum et litteratorum disciplinae, quae in hominum linguis exquirendis, in iudicandis explanandisque poematis versantur. Varia enim et multiplici ratione de sermonum origine, antiquitate, structura disputavit in libris, quos « *De origine linguae latinae* » « *De sermone latino* » « *De utilitate sermonis* » « *De similitudine verborum* » « *De antiquitate litterarum* » pro cuiusque argumenti natura inscripsit. Hac vero verborum notitia nisus, Plautinas fabulas — plures enim Sarsinati tribuebantur ac reapse scripserat — in disceptationem vocavit; de aliis ergo utrum germanae essent an suppositae generatim iudicavit; in aliis, locos, qui non poetae essent, sed « *παρεμβεβλημένα* » hoc est *interiecta*, scite distinxit; alios denique emendavit et explanavit. Duos ex huiusmodi quaestiunculis libellos confecit, quorum « *De comoediis Plautinis* » alter, alter « *Quaestionum Plautinarum liber* » inscribatur. Senex, cum octogesimum iam annum egisset, tamquam si mox e vita transmigraturu sagrorum desiderio teneretur quod posteritati omni communicaret, tres libros « *Rerum rusticarum* » concinnavit, videlicet ipse quae in suis fundis colendis animadverterat, quae in aureo Oeconomico

*Libri de re-  
bus gram-  
maticis*

*Rerum rusti-  
carum libri.*